





24.

E. 26 num. 66.

1737, 11.

DE MARITO  
ADMINISTRATORE  
ET VSVFRVCTVARIO  
**BONORVM VXORIS**  
ADHVC MINORENNIS  
DISSERIT  
ET  
GENEROSIS AC NOBILISSIMIS  
**IVRIVM CVLTORIBVS**  
**COLLEGIA SVA**  
PER SEMESTRE AESTIVVM HABENDA.  
INDICIT  
**ABRAHAMVS KAESTNERVS**  
IVRIVM DOCTOR ET PRACTICVS.

LIPSIAE, LITTERIS GABRIELIS TROGII.



DE MARITO  
ADMINISTRATORI  
ET ASTRACIATORI  
DOLORUM AXONIS  
ADHOC MINORENIS  
PRAESENT  
IT  
GRANULOSIS AG MONITIBUS  
IRIUM OVIATORIBUS  
CORREGIAS ZA  
PER ELETTAE ASTUATI MUS  
TUDICIA  
ABRHAMAS KASTNERAS  
IRIUM DOCTOR ET LITERATUS  
TUDICIA



### §. I.

E origine dotis variae inter eruditos ortae sunt opiniones. Multis tamen dotis constitutae ratio probabiliter exinde fluxisse videtur, quod contemnere haberi mulierem indotatam, experientia doceret, quodque amor mariti extingui putaretur, si pro oneribus matrimonii ferendis nil quicquam ipsi concederetur leuaminis. v. STEPH. GVAZZ,

de civil. conuersat. L. 3. p. 356.

### §. II.

Equidem certissimum est, matrimonia non dotibus sed affectibus constare, neque dorem ad matrimonii substantiam pertinere, alias quippe sexui muliebri male legibus esset consultum. Quia vero per pauci dantur procii, qui pecuniam amori coniugali non anteponunt, iuxta tritum illud: Geld, Mägdchen ich habe dich lieb; et perplures aces alienum per multos annos contractum, dote sperata exsolvere satagent, factum etiam exinde, ut pleraque matrimonia, prohdolor! non amore, sed dote tantum congrua hodie contrahantur.

### II.

Ne vero procii repulsam ferre cogantur, diuites plerumque se-  
se iacent, interpositis conciliatoribus variisque aliis mediis, haud  
raro non adeo laudabilibus, simplicitati puellae laqueos ponunt, donec  
tandem verbis phaleratis decepta in omnia consentiat, nam

Sponso familiam, charakterem, diuitias iacenti,

Vt Monacho pater noster oranti

Et Notario instrumentum confidenti

creditur, v. COCCEIUS de curiositate legali profusa, concl. 4. in eius  
volum. I. p. m. 1599. Huius generis procii parum, quod MARTIALIS  
canit, curant:

Vxorem quare locupletem ducere nolim,

Quæreritis? vxori nubereno meae.

Optime hac de re SYRACID. cap. XXV. v. 28. et 29. loquitur: Wenn  
das Weib den Mann reich macht, so ist da eitel Hader, Verachtung und grosse  
Schmach.

### A 2

### §. IV.

§. IV.

Cum itaque talia matrimonia rarissime eveniant felicia, procul non tam pecuniam, quam virtutem in sponsa, et plane nullam pueram querere deberet, nisi ipse, quomodo honeste feminam alere possit, docere queat, quod multis in locis obseruari scimus, sociam quippe fibi tantum, non vero nummos principaliter eligat necesse est. Hinc etiam LYCVRGVS et SOLON. cauerunt, ut virgines indotatae nubent: ne propter inopiam aliqua relinquerentur innuptae, et aliae ob diuitias magis, quam ob spectatos mores ab adolescentibus colerentur. v. ANTONII GVIBERTI COSTANI de dotibus et eorum iure commentarii, p.m. 669.

§. V.

Ast, quem in finem haec similiaque adduco? Surdis sane fabula narratur. *Dives omnis quis sit querimus, nemo an bonus*. Diuinitae et bona dicuntur secundus sanguis. v. Glosse ibi BALD in l. aduocati. 14. C. de aduocat. diversi iud. Pecunis est lac et succus Reipublicae v. MARQVARD. de iure commerc. p. 94. Pauper itaque virgo, nisi cuidam aliquando facies sit pro dote, non facile nubendi occasionem habebit, et iuxta vulgatum: ubique iacet. Diuite vero communiter querunt; Hanc, si inuenient, admodum formosam, pulchram incomparabilmente credunt, etiam si haud raro tritum illud applicari possit;

*Ranam, putat esse Dianam,*

*Ceruam, credit esse Mineruam,*

*Et deformis pecus, iudicat esse decus.*

Miser autem procul cui aurum et argentum super omnia, si quaedam de Amasa sua ipsi in aurem quasi dicantur, cito responderet:

*Nummus honoratur, sine nummis nullus amatetur.*

*Nummus ubi loquitur. Tullius ipse taceat.*

En modum contrahendi matrimonium plerisque iucundum atque visitatissimum.

§. VI.

Vt itaque malo, quo de §. 1 dictum obuiam iretur, tacita consuetudine sensim inductus fuit dotis dandae ritus, et conditio, ex qua deinceps mulieris intererat, ut inciperet, esse dotata, v. l. 71. §. 3. ff. de condit. & demonstration l. 5. de iure dot. Et quoniam successu temporis omnis procul dotem desiderauit, fineque hac difficulter in matrimonium consensit, dotatas autem esse mulieres ad sobolem

fobolem procreandam replendamque liberis ciuitatem, maxime fuit necessarium v. l. i. solut. matrim. lex superuenientem tandem consuetudinem introductam adprobauit, ut dos feminis constitueretur, v. l. 19. ff. de R. N. conf. IOACH. HOPPER. de vera Iurispr. L. X. tit. 2.

### §. VII.

Ne vero mulieres dotibus suis defraudarentur, cum Reipublicae interfit dotes ipsis integras seruari, sua sponte fluit, cauendum etiam esse a maritis intuitu dotis illatae, hinc vxor ratione dotalium in bonis mariti, a tempore contracti matrimonii tacitam habet hypothecam, v. l. vn. §. 1. C. de rei vxor. act. GAIL. L. II. O. 86. n. 3. idem obtinet ratione augmenti dotis, Nou. 97. c. 2. a die augmenti. De iure Saxon. v. P. II. C. 24 a deamque CARPZ. alia priuilegia, quae dotis intuitu concessa leguntur, adducere superfcede, cum illa viisque occurrant.

### §. VIII.

Non autem novum est ut ius civile et iura hodierna plerorumque locorum feminis quoad dotem illatam prospiciant, sed idem iure Hebraeorum etiam obtinuit. Non iniucundum erit ex SELDENI uxore Hebraica hac de re quedam adduxisse. Sic autem ille L. II. c. 10. ex instrumento dotali, quod sponsus sponsae dedit, scribit: *In me recipio praestare, in me recipio praestationem totius ipsius dotis etiam et bonorum, quae secum ipsa sponsa iam attulerit, aut postmodum sibi acquisierit; item et dotis incrementi conditionumque qualiumcunque ad dotem attinentium, nec in me solum, sed etiam in haeredes meos, qui mihi successerint, et in omnem substantiam meam pretiosorem, possessionesque meas quatescunque sub coelo; quae siue nunc mihi sunt, siue in posterum fuerint, idque siue res fuerint mobiles siue immobiles; quae vniuersa pignori sunt atque hypothecae doti iam dictae toti ac rebus quas secum attulerit, seu postmodum acquisierit sponsa et incremento dotis; ut exinde haec praestentur, siue dum superstes fuerro, siue postquam sim mortuus, Quod et de Pallio super humeris meis dictum volo. Quin et obligatio omnium rerum, quae supra scribuntur memoranturque implenda nonqua probatio suppetat, deficiatue, seu pro libelli formulae vi, sed iuxta vim et effectum omnium libellorum dotalium, qui in usu apud Israeletas, et secundum id quod receperunt et ordinarunt Rabbini nostri piae memoriae. Haec SELDENVS.* Patet ex his quod etiam apud Hebraeos sponsae a sposo

a sponso in securitatem dotis illatae oppignorata fuerint omnia ipsius bona mobilia et immobilia.

§. IX.

Quid vero si sponsus bonis, quibus cauere possit, destituatur, queritur an sponsa fideiussorem exigere queat? iure ciuili conceptis verbis negatur, per l. 2. C. ne fideiuss. vel mand. dot. dentur, addita ratione: ne causa perfidiae in connubio eorum generetur; Mulier scil. non debet plus extraneo quam marito credere. Ridiculum vero adductam rationem vocat, ac in Germania fideiussores admitti, ICtorum assentiet Praejudicio P. I. Helmß. adfirmat ill. LEYSER. Spec. ad P. XIII. med. 1. p. m. 134. et spec. §23. medit. 8 p. 870. seq. v. omn. BEYER ad P. iii. de fideiuss. posit. 7-15. CARPZ. P. II. C. 42. def. 17. GRAEVIVS Pract. Concl. Lib. II. concl. 48. consid. 1. m. p. 246. BALDVS NOVELLVS de dote C. VI. Priuile. 21. p. m. 51. seq.

§. X.

Vxor igitur quae semel in matrimonium consensit, marito bonorum administrationem, et propter hanc, nec non ob onera matrimonii vsumfructum illatorum ipsi relinquere tenetur id quod in specie de iure nostro Saxonico adserendum. An vero hoc assertum expresso scriptoque iure nitatur, adeo expeditum non est. Adfimant hoc haud pauci. Ex multis adduco RAVCHBAR. L. I. qu. 47. n. 32. et CARPZ. P. II. C. 15. d. 25. qui hunc in finem adlegant Land. R. Lib. I. Art. 31. ibi Wenn ein Mann ein Weib nimmt, so nimmt er sie in sein Gewehr, und alles ihr Gut zu rechter Vormundschafft; L. III. Art. 45. ibi: Der Mann ist Vormund seines Weibes, zu Hand, als sie ihm angekraut wird. et in verb: Das Weib tritt in sein Recht, wenn sie in sein Beite tritt, sc. per quos textus tamen à tutela ad vsumfructum vix argumentari licebit. Ex verbis vero, Lib. I. Art. 31. Mann unb Weib, haben nicht gezwungen Gut zu ihrem Leibe sc. ad quæ potissimum prouocant id saltem adparet, quod non solus maritus, sed eterque coniugum, vsumfructum omnium bonorum communem habere debeant. Ut propterea perceptio vsumfructus non tam iuri expresso quam consuetudinario adscribendus videatur. v. BARTH. de marito vsumfructuario Saxonico Cap. II. §. I.

XI.

Vtrum vero etiam hic vsumfructus marito, qui minorenem vxorem duxit competat, an potius ex manibus curatoris aetatis illum percipere debeat, nuper tandemmodo coram Praetorio Lipsiensis con troueris

trouersum. Curator minorenis sua maritatae potissimum vrgebat, bona sua hypothecae adhuc subiacere donec liberatus esset, hinc ipse vsumfructum etiam ex aedibus, quas vxor minorenis possidebat, percipere intendebat, propterea que a iudice, praeceptum de non soluenda mercede ad conductores aedium, ptebat. Reus vero prae-primis ad textus iuris Prouincialis, §. *praec* adductos, prouocabat sibique per eos et administrationem et vsumfructum competere. ad-serebat. Vtraque tandem parte satis audita, *Inclitus Scabinatus Lip-sensis* in causa M. B. in Vermundschafft Christianen D. G. Klägers, contra Fr. G. (*maritum scil.*) beflagten, *Mens. Jun. 1736.* sequentem in modum pronunciabat: Dass Klägers Suchen, weil Beklagter von seines Ehe-Weibs Vermögen legitimus administrator ist, auch in §. 30. der Leipziger Vermund-schaffts-Ordnung klar verschen, was ein Vermund derer Pfleg-beschlungenen, welche sich in Chestand begeben, und daselbst unter der Münd- und Unmündigkeit des ver-heyratheten Thells kein Unterschied gemacht wird, zu praestiren schuldig ist, althier auch auf keine Caution, weshalber aber besondere Ursachen zu exprimieren gewesen, nicht angefragt worden, angebrachter maassen nicht statt hat.

### XII.

Aliud autem dicendum et marito vsumfructus non concedendus, si male administraret v. g. onera matrimonii non sustineat, tributa, vel etiam vsumuras de forte, Paraphernalibus forte inherente, non exsol-vat &c. v. RICHTER de Success ab Intest. Sect. 4. membr. 1. n. 9. item, si bonis cedat &c. Hinc in dicta causa, leuteratione à curatore aetatis interposita, *inlyta Fac. Iur. Lips. Mens. Dec. anni praeteriti*, sequen-tem culit sententiam: Nunmehr in Anfölung, dass Kläger fol. 121. beflag-tens üble administration einiger massen beigebracht, (*tributa sc. a marito soluta non erant*) vornehmlich aber, weilen er, bespie begleiteten *Fasciculis* selbst bonis cedidet, aus denen *Acten* so viel zu befinden, dass Klägers Su-chen statt hat, derowegen demselben auch fernerhin die administration seiner Pfleg-beschlungen Vermögens zu überlassen, und das fol. 2. gefuchte Verberth (*de non soluenda a conductoribus mercede*) mit zu theilen.

### §. XIII.

Ex dictis, pauperi marito, illi etiam qui minorenem duxit vxorem, administrationem et vsumfructum rerum illatarum compe-tere adparet, modo bene et instar boni patrisam administraret. De distinctione inter bona dotalia et Paraphernalia quaedam adducere echartae augustia non permittit, propterea que L. B. ad BARTHII dis fertatio


3723

fertationem §. 10. citat. et ZIGLERVM de iure dotium, in eius Volum.  
p. 910. seq. ablego.

Restat igitur ut id, cuius rei gratia haec praemisi, paucis expediam, i.e. ut Generosis ac Nobilissimis iuriis Cultoribus collegia mea, quae per semestre hoc aestivum sum habiturus, indicem. Sunt autem sequentia.

- I. COLLEGIVM ELABORATORIO PRACTICVM, in quo singula membra, scripta quae pro indeole processus requiruntur, proprio Marte conficiunt, quae deinde tam quoad fundamenta iuris, quam stilum curiae accurate examinantur, ordiar. *Hora-VII. - VIII.*
- II. PANDECTALE, in LUDOVICI DOCTRINAM PANDECTARVM, inchoabo. *Hora IX. - X.*
- III. INSTITUTIONALE, in ipsum institutionum imperialium textum, adhibita tamen melioris explicationis gratia, *Synopsi Menckeniana*, de nouo aperiam, *Hora X-XI.*
- IV. STRYKII EXAMEN IVRIS FEVDALIS, enucleabo *Hora II-III.*
- V. IVS CAMBIALE, iuxta propria praecepta, quae ad describendum communicantur, tradam, *Hora III-IV.*
- VI. PRAEPARATORIO PRACTICVM, iuxta delineationem Processus a me editam, diebus § et 5, praelegam. *Hora IX-X.*
- VII. REPETITIONI consuetae die 5, et EXERCITIO DISPV-  
TATORIO, die 5 vacabo. *Hora XI-XII.*

Initium dictorum collegiorum finitis Nundinis solennioribus,  
*die XXVII. Maii*, sum facturus, singula autem, *solis Pandectaris exceptis*,  
Numine Diuino annuente, per semestre instans, absoluere decreui.  
Quibus itaque vni vel alteri interesse placet, illos ut Nundinis pendentibus me adeant, atque de methodo mecum communicent, humannissime inuitio; in adeundo enim facilem, et in tradendis disciplinis candidum, in promissis vero feruandis, frenuum me omnes inuenient. Dabam Lipsiae e Musaeo, Dominica Quasimodogeniti. A. R. S.  
clo 10 cc XXXVII.



Liphi's, Diss., 1737 A-C

VD 18





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres  
Inches

Farbkarte #13

24  
1737, 11.  
**DE MARITO  
ADMINISTRATORE  
ET VSVFRVCTVARIO  
BONORVM VXORIS  
ADHVC MINORENNIS  
DISSERIT  
ET  
GENEROSIS AC NOBILISSIMIS  
IVRIVM CVLTORIBVS  
COLLEGIA SVA  
PER SEMESTRE AESTIVVM HABENDA.  
INDICIT  
ABRAHAMVS KAESTNERVS  
IVRIVM DOCTOR ET PRACTICVS.**

LIPSIAE, LITTERIS GABRIELIS TROGII.

